



2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9





~~8.a.2~~  
~~5.~~



111853827

R-5416

foto 2-6



3

30-82

8142-30

# DECRETVM CIRCA COMMVNIO- NEM QVOTIDIANAM.

**C**VM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio perueniet in quibusdam Diœcesisbus vigere usum quotidianæ Communio-  
nis, etiam in feria sexta Parasceua, & simul affi: mari eandem quotidiana Communionem præceptam esse à iure Diuino, quinetiam in illius administratione aliquos abusus inoleuisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in priuatis Oratorijs, & Domi, immo cubantes in lecto, & non labo-  
rantes vlla grauis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quā argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes iæ-  
culares, aut Regulares; alijque in Communione accipiunt plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, èadem S. Congregatio prævia matura discussione super prædictis vnanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, quotidiana Sacrosancta Eucharistia usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamèn, aut sèpiùs illam percipiendi, aut ab èa abstinen-  
di, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum repu-  
taret, nihil præcipiēs, quid cuperet tantum indicauit, cùm inquit: Optaret qui-  
dem Sacrosanta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes Sacramen-  
ta Eucharistiæ perceptione communicarent; Idque non immerito; multipli-  
ces enim sunt, conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes,  
multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessæ: quæ cum humanis ocu-  
lis scrutari non possimus, nihil certè de cuiusque dignitate, atque integritate,  
& consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis æsli potest consti-  
tui. Et propterea quod ad negotiatorum ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessorum secreta cordis exploran-  
tium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & coiugatis, quod profi-  
cient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Coniug-  
tis

tis autem hoc amplius animaduertent, cum B. Apostolus nolit eos inuicem  
fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi eos seriò admonen-  
tiant tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistie reuerentiam continentie va-  
candum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse co-  
veniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum inuigilabit, non  
ut à frequenti, aut quotidiana Sacra Communionis sumptione vincita precep-  
ti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed  
magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi  
decernendum putet; Illudque omnino prouideat, ut nemo à Sacro Coniuio  
seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam,  
ut vulnusque dignè pro deuotionis, & præparationis modo rariùs, aut cre-  
briùs Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidiè  
Sacram Communionem petentes admonendè erunt, ut in diebus ex earum  
Ordinis instituto præstitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eni-  
teant, & ferores spiritus ita incaluerint, ut dignè frequentiori, aut quotidiana  
Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superiobus per-  
mittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessorum diligentia,  
opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum si-  
deles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accende-  
rint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant,  
generatimque ostédat, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi  
cibi sumptionem deuoto studio excitantur, debere, siue Laici negociatores  
sunt, siue Coniugati, siue quicunque alij suam agnoscere insirmatatem, ut dig-  
nitate Sacrameti, ac Diuini iudicij formidine discant cœlestē mensam, in qua  
Christus est, reuereri; Et si quando se mihi paratos senserint, ab ea abstinere,  
sequi ad maiorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum  
Diocesibus viget huiusmodi deuotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro  
illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiae, & iudicij temperame-  
to alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt,  
nulli labori, aut diligentiae parcendum, ut omnis irreuerentie, & scandali suspi-  
cio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in-  
sumentibus augeatur: Quod abundè continget, si ij, qui deuoto huiusmodi  
studio, diuina præstante gratia tenentur, sequi Sacratissimo Pane frequentius  
refici cupiunt, suas vires expendere, sequi probare cum timore, & charitate  
assueuerint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, &  
se premium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se premium est datus,  
precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem,  
& sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarij redar-  
guant afferentes Communionem quotidiam esse de iure diuino, doceant in  
Ecclesijs,

Ecclesijs, seu Oratorijs priuatis, ex dispensatione, seu Priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in Crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in iecto; quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa iuxta formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti. Current etiam, ut circa Communionem in feria sexta Paraccluæ, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus seruentur; Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas; Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarij etiam Regulares, aut qui cuncte a iij Sacerdotes secùs egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum iustum, ac rigorosum animaduersionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Se- dem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de premissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac presentis Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quo rum &c. Datum Romæ 12. Februarij 1679. F. Card. Columna Prefect. S. Archiepisc. Brancaccius Episc. Viterbiensis. Secr.

Die 15. Mensis Februarij 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Vrbem ad valvas Curiæ, & in acie campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Stagius Apost. Curs.





I  
I  
A  
B  
P  
V  
I  
I  
O  
I  
J  
I  
I

Misericordia Romana  
Domini nostri Iesu Christi  
Ecclésie Romanae  
Petrus Franciscus Pictor  
Postmodum ad novissimum  
Philosopham O.  
caelorum et Terrarum  
1611

